



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Quomodo Contritio perfecta attingat motivum Charitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

SECTIO III.

Quomodo Contritio perfecta attingat moti-
vum Charitatis?

§. I.

278. **S**uppono primò: actum charitatis apud Theo-
logos esse actum amicitiae ex illo Prov. 8.
ego diligentes me diligo: adeòque bonitatem di-
vinam non specificare actum charitatis utcum-
que attractam, sed ita debere attingi, ut affectus
ipse quatenus ex eo motivo procedens, maneat
impossibilis cum actu legum amicitiae divi-
nae transgressivo. Ratio est, quia ut constat ex
dictis à n. 73. voluntas, utpotè potentia libera,
potest attingere motivum bonitatis divinae, vel
secundùm totam suam universalitatem, prout
se extendens ad omnia, quae Deo placent; vel
cum aliqua restrictione, prout se extendens ad
fugienda graviter displicentia; vel cum majori
restrictione, prout coarctatur ad fugiendum us-
um, & non aliud, quo in sensu potest volun-
tas ex eo motivo ita restricto fugere unum pec-
catum lethale, & non aliud, ut optimè notavit
Exim. Doct. tom. 1. *De gratia* lib. 1. cap. 34. n.
19. atqui ad actum impossibilem cum affe-
ctu transgressivo legum amicitiae divinae, licet
non requiratur, quòd divina bonitas attingatur
secundùm totam suam universalitatem absque
ulla restrictione, cum amicitia Dei non amittat-
ur per venialia; requiritur tamen, quòd saltem
attingatur, prout averfa omni lethali, cum per
quodcumque lethale amicitia Dei amittatur:
ergo &c. Exindè

279. **S**uppono secundò cum Arriaga disp. 8. sect. 2.
num. 5. & 7. omnem actum charitatis esse actum
amoris Dei; non verò è contra, sicuti omnis ho-
mo est animal, at verò omne animal non est ho-
mo. Ratio est, quia idè omnis homo est ani-
mal, & non è contra, quia nullus potest dari
homo, qui non sit animal; at verò potest dari
animal, quòd non sit homo, atqui etiam nullus
potest dari actus charitatis, qui non sit amor
Dei, cum debeat amare bona saltem debita intra
leges amicitiae, quia Deo bonae; at verò potest
dari amor Dei, qui non sit charitas: v. g. si quis
propter bonitatem divinam, quam amat, nollit
jurare, etsi veller simul graviter furari: talis
enim actus, cum esset possibilis cum affectu
transgressivo legum divinae amicitiae, non esset
charitas, sed amor valde imperfectus: ergo &c.
Quapropter actus charitatis amat Deum super
omnia: cæterùm cum particula *super omnia* sit
respectiva, potest dupliciter sumi, vel pro amo-
re super omnia, idest supra leges amicitiae; vel
pro amore super omnia, idest juxta leges amici-
tiae. Ad actum verò charitatis non requiritur,
quòd sit super omnia in primo; benè verò in se-
cundo sensu, cum non debeat esse supra, sed
juxta leges amicitiae divinae, ex dictis numero
superiori. Exindè

Suppono tertio: actum charitatis esse verum
Dei amorem super omnia. Ratio est, quia eo
durante in anima, potius omnia continentur,
quàm leges divinae amicitiae transgrediantur:
nihil enim præcipi potest, ut necessarium ad ob-
jectum istarum adimpletionem, quòd non restric-
tionis naturalis regulis valde conforme, in
quo distinguitur amicitia erga Deum ab
amicitia erga Creaturam, ex numer. 27.
Unde si id, quòd modò prohibetur sub le-
vi, prohiberetur postea sub gravi, non posset
voluntas, durante eo amore, labi in talem
prohibitam, in quam modò labitur, quia nunc
Ipsus ille, ex ipso Deo legislatore, non est
transgressivo legum divinae amicitiae: non enim
amittitur gratia, aut amicitia divina per veni-
le peccatum. Quinimò cum per actum chari-
tatis non amet homo ista, ut sibi, sed ut Deo bo-
na, si opus esset, potius eligeret sui, quam Dei
destructionem, aut gravem offensam contra
ipsum committere: in eo namque distinguitur,
ex n. 267. actus charitatis ab actibus aliarum
virtutum, quia actus aliarum virtutum possunt
amplecti suum objectum tanquam bonum elu-
cienti; actus verò charitatis purè amplectitur
suum objectum, tanquam bonum Deo, eoque
de causa aliae virtutes sunt elicivae actus con-
cupiscentiae; secus autem charitas.

Suppono quarto: magnitudinem amicitiae
vidi à Philosophis, & Theologis in intensivam
& appetitivam. Intensiva est ea, quae fit, vel
per additionem gradus ad gradum, vel per res-
pondentiam omnino similem. Unde sicut gradus
intensus non addit appetitionem objecti sua
pra appetitionem gradus remissi, sed major-
em vim, aut tenacitatem affectivam, seu am-
plexum objecti juxta illam praeviam appre-
tiationem; ita etiam, si per gradum remissum
objectum non praeferebatur omnibus, sed tribus
solis objectis; per gradum pariter intensum non
praeferebatur omnibus, sed illis tribus commixtis
objectis; si autem per gradum remissum nulli
alteri objecto praeferebatur, pariter per gradum in-
tensum nulli alteri objecto praeferebatur. Appre-
tiativa verò est illa, quae non ex majori inten-
sione, aut tenacitudine, sed ex natura incremen-
ta ipsius actus procedit, ita ut live tendentia
intensa, sive remissa suum objectum praefereat
aliis ex vi illius specificae tendentiae actus. Quo-
propter si actus intensus appetit suum ob-
jectum super omnia; pariter, & actus remissus
appretiat suum objectum super omnia. Quae
de causa potest dari unus actus valde intensus,
qui suum objectum non appetit super omnia,
& alius valde remissus, qui super omnia illud
appretiet, ut dixi in Prolo. à num. 1.

Exemplum sit in patre, qui saepe solet amare
magis intense equum, quàm filium, & filium
quàm Deum: ex qua amoris intensione prode-
it in lacrymas, si amittat filium, & non plorat
quando amittit Deum, & tamen amat magis
appretiative filium, quàm equum, & Deum
quàm filium, nam si in sua electione esset, pre-
ferat

gih's eligeret amittere equum, quàm filium, & filium, quàm Deum. Quod etiam plures Doctores explicant in facto Jonathæ cum Davide 1. Reg. 18. ubi dicitur: *Anima Jonathæ conglutinata est anima David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Credibile namque est Jonatham, sive ex admiratione virtutis, sive ob similitudinem morum inter juvenes bellatores, amore teneriori, ac magis intenso Davidem, quàm Saulem parentem dilexisse; suadet tamen præclara Regii adolescentis indoles, & sapientia, amatum ab eo Saulem magis appreciativè, quàm Davidem; hoc est, paratum illum fuisse Patris salutem, & commoda, Davidis salutis, & commodis antepone, ac si casus urgeret, promptius, ac majori studio patri, quàm amico subvenire. Exinde cum bonitas divina movere possit ad amorem super omnes intentum, vel ad amorem super omnia appreciativum, quærimus quomodo contritio perfecta attingat bonitatem divinam?

283. Prima Sententia est Adriani asserentis, ad contritionem perfectam, & ad perfectam dilectionem Dei, quæ sit ultima dispositio ad justificationem extra Sacramentum, requiri summum conatum, ac proinde debere esse summum dolorem, & summum amorem intensivè. Ratio ejus est, quia alioquin non amabitur Deus plusquàm omne bonum, nec peccatum odio habebitur, plusquàm omne malum. Secunda Sententia est Petri Soti, cum Bonavent. & aliis, docentis non requiri, ut sit summus dolor, aut amor intensivè; requiri tamen, ut sit intensior quovis alio actu doloris, vel amoris: Ratio ejus est, quia cum æstimatio alicujus rei sit amor illius, quò aliquis intensivè rem aliquam amat, ad illam magis æstimare videtur. Unde si aliquis intensivè Creaturam, quàm Deum amaret, magis æstimaret creaturam, quàm Deum. Quapropter ut quis diligat Deum super omnia, necesse est, ut Deum intensivè amet, quàm alia objecta, & similiter, ut doleat de peccato super omnia, oportet, ut dolor iste sit intensior quovis alio dolore. Tertia Sententia est Cajetani exigentis aliquam durationem notabilem, Ratio ejus constabit num. 301. Quarta ferè omnium Theologorum Sententia docet, contritionem perfectam non debere esse dolorem, aut amorem super omnia intensivè, bene verò appreciativè, etsi non omnes convenient, neque in probanda, neque in explicanda natura appreciativæ. Ad clariorem horum omnium decisionem,

S. II.

284. **A**ssero primò contra primam sententiam: contritio perfecta non debet esse elicitæ ex summo potentia conatu quoad intensionem. Probat: amor Dei super omnia requisitus ad adimplerem præcepti diligendi Deum, non debet esse elicitus ex summo potentia conatu quoad intensionem: ergo neque perfecta contritio. Consequentia tenet, quia præceptum

diligendi Deum obligat ad illum diligendum per verum actum charitatis, qua de causa Innoc. IX. inter 65. propositiones damnavit 6. quæ sic habebat: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum:* Antecedens verò probatur: nullum est divinum præceptum, de cuius adimplerem nullam habere possit probabilitatem ille, qui præceptum vult adimplere: tale enim, ut per se patet, esset nimis severum, & si non esset absolute impossibile, saltem fragilitati humanæ esset minimè consentaneum; atqui nullus scire probabiliter potest, quando elicit actum veræ dilectionis Dei, an ille actus in intensione adæquet intensionem habitus charitatis, adeoque sit summus in intensione actus, & conatu potentia: ergo &c. Confirmatur primò: Per majorem amorem intensivum non tantum æstimatur res, quàm per majorem appreciativum, ut constat à n. 281. ergo ex titulo majoris æstimationis non requiritur major amor intensivus. Confirmatur secundò ex D. Thom. in suppl. quæst. 5. art. 3. in corp. dicente: *Sic ergo dicendum, quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet: ergo &c.* Vide Prol. à n. 1.

285. **A**ssero secundò contra secundam sententiam: Contritio perfecta non debet esse intensior quovis alio amore, aut dolore elicitæ ab operante. Probat. Qui magis intensè dolet de morte filii, quàm de peccato commisso contra Deum, non offendit ex eo Deum, si actus doloris de peccato sit magis appreciativus Dei, quàm filii, aut sit appreciativus Dei super omnia, quod non habet amor filii: sic enim magis perfectè Deum, quàm filium diligeret, repugnàtque ex ipsa terminis, quòd aliquis peccet diligendo Deum, & filium ex eo, quòd magis perfectè Deum, quàm filium diligat: sed talis amor appreciativus, utpote sufficiens ad amicitia divinae leges adimplendas, sufficiens quoque est ad perfectam contritionem: ergo &c. Confirmatur primò ex D. Thom. in suppl. quæst. 5. art. 3. §. sed contra dicente: *qualibet Contritio est gratia gratum faciente informatæ: ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam:* ergo &c. Confirmatur secundò: si ad perfectam contritionem requireretur major amor intensivus, & non sufficeret amor super omnia appreciativus, possent duo ita elicere omninò æqualem amorem, ut unus eliceret amorem sufficientem ad justificationem, & alter non; sed hoc ex ipsis terminis implicat: ergo &c. Probat. Maj. unus ex illis duobus elicientibus eundem omninò æqualem amorem posset simul habere actum amoris intensiorem circa aliud objectum, & alter non; ergo juxta principia adversariorum, amor ab uno elicitus esset sufficiens dispositio ad justificationem; secus autem amor omninò æqualis ab alio elicitus. Confirmatur tertio: major æstimatio non stat in majori intensione, sed in majori appreciatione: ergo sine fundamento requirit.

quiritur major intensio amoris ad perfectam contritionem.

286.

Affero tertio contra tertiam sententiam. Ad contritionem perfectam non requiritur notabilis ulla duratio, sed talis est in ipso instanti, in quo elicitur. Probat: sicut Deus nullam exigit determinatam intentionem, neque in Scripturis, neque in Conciliis ad perfectam contritionem, ita neque exigit ullam durationem: ergo talis duratio ad perfectam contritionem non requiritur. Confirmatur exemplo Davidis 2. Reg. 12. qui vix dixerat peccavi, & statim audivit à Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: vix enim potest esse brevior duratio, quam illa fuit. ergo, &c. Confirmatur secundo: quia cum ex nullo testimonio constet adhuc probabiliter, quanta sit illa duratio, homo teneretur sub præcepto ad contritionem, quin sciret probabiliter, quando posset desistere sine peccato (quod etiam militat pro intensio- ne) adeoque neque vicinus morti, eliciendo contritionem, in instanti posset justificari, quod est contra persuasionem fidelium, & contra testimonia superius adducta, & contra alia statim adducenda à n. 299. ergo, &c. Confirmatur tertio ex S. Th. 3. part. q. 89. art. 2. in corp. dicente: *Motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad Gratiâ: Unde in eodem instanti est gratiâ infusio*: ergo, &c. Omitto plura quæ satis constabunt ex solutione argumentorum.

287.

Affero quartò cum quarta sententia. Ad perfectam contritionem sufficit, & requiritur, quod actus supernus elicitus sit dolorosa detestatio de peccato commisso, & amor Dei appetitively super omnia; adeoque perfecta contritio attingit secundum istum respectum motivum charitatis. Probat: primò: Perfecta contritio continet formalitatem amoris charitatis erga Deum, ut constat ex Trid. cit. n. 247. ac proinde est adimpletiva legum amicitiae divinae ex dictis à n. 278. atqui affectus adimpletivus legum amicitiae divinae debet esse detestatio dolorosa peccati, & dilectio Dei appetitively super omnia: ergo, &c. Prob. Min. ille affectus, qui non detestaretur appetitively peccatum super omnia, compossibilis esset cum appetitione peccati magis, quam Dei, si posset existere sub alia hypothesis; & ille, qui non amaret Deum appetitively super omnia, compossibilis pariter esset cum appetitione alterius objecti magis, quam Dei, adeoque cum hoc sit lethale, talis affectus in ea hypothesis esset compossibilis cum lethali: atqui affectus compossibilis sub quacumque hypothesis cum commissione peccati lethalis, non esset adimpletivus legum amicitiae divinae, cum per quodcumque lethale contrahatur meritum inimicitiae cum Deo: ergo, &c. Confirmatur. Perfecta contritio non solum est incompossibilis cum voluntate peccandi: hoc enim etiam convenit attritioni, dum ipsa existit in hypothesis praesentis providentiae, ut constat ex Tundantino citato n. 223. sed ulterius habet ea

peccata fugere, quia graviter mala est respectu Dei, sive ex amore debito legum amicitiae erga Deum: atqui non potest ita detestari peccata, quin ea appetitively super omnia detestetur, & Deum appetitively super omnia diligat: ergo, &c.

Respondet, non satis esse, quod contritio ita sit incompossibilis cum voluntate peccandi, ut detestetur peccatum appetitively super omnia: cum attritio concepta ex metu poenae inferni sit etiam incompossibilis cum voluntate peccandi, quin detestetur peccatum appetitively super omnia, cum non detestetur illud poenas inferni, ex n. 257. Contra tamen primo & ut magis appareat veritas, ex ipsa eorum sponcione arguo contra adversarios sic: licet actus, quo aliquis fugit peccatum ob meritum poenarum inferni, non detestatur magis peccatum, quam poenam, quia nullus actus potest excedere motivum, sub quo fertur in obiectum, utpote ab illo habens totam suam vim, & efficaciam, ut diximus à n. 257. ergo cum perfecta contritio habeat pro motivo divinam bonitatem, quam appetitively amat super omnia, accipit à suo motivo efficaciam ad detestandum peccatum super omnia. Contra secundò. Ratio communis contracta ad differentias inaequales participat in una specie rationem nobilitatem, quam in alia: sic animal contractum ad hominem, & leonem reperitur nobilitati modo in homine, quam in leone; licet enim quod animal praecindat ab identitate cum rationali, tale animal habeat veram identitatem cum rationali: ergo licet poenitentia, ut sic praecindat à detestatione peccati super omnia, contracta ad perfectam contritionem non praecindat, sed identificabitur cum vera detestatione peccati super omnia:

Probat: secundò Conclusio ex Eximio Doctore. Detestatio contritionis est proportionata amori non minus, quam unum identitatum cum alio sit ei proportionatum; atqui amor prout tendit in Deum, amat Deum super omnia; ut constat ex n. 286. ergo detestatio, prout tendit in peccatum, detestatur peccatum super omnia. Confirmatur. Amor Dei regulatus ad contritionem perfectam, est ille, qui cadit sub præcepto, ne leges debitas amicitiae divinae transgrediamur, juxta illud Deut. 6. *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi habere in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Amorem legum obligat ad actum adimpletivum legum amicitiae divinae, adeoque ad diligendum Deum appetitively super omnia, ut illo Christi Matth. 10. *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus*: ergo hæc detestatio, quam secum fert talis amor, debet detestari super omnia peccatum, quod transgredere leges divinae amicitiae.

Affero quintò cum Exim. Doctore com. 1. *De gratia* lib. 1. cap. 31. à num. 12. *Contritio*

perfecta eatenus est tendentia appetitativa super omnia, quatenus ex divina bonitate est amor obediencialis, sive divinae amicitiae legum adimpletivus. Probatum primò. Amor ex divina bonitate obediencialis, sive divinae amicitiae legum adimpletivus est ille, quo voluntas non solum vult Deo bonitatem, quam in se habet, sed etiam propter illam vult Deo ita place- re in omnibus, ut fugiat omnia contraria, solum, ut ei ita placeat; atqui talis actus est appetitativus super omnia: ergo, &c. Probatum Min: talis actus non solum vult Deo bona sua intrinseca, sed etiam extrinseca; nec solum hæc, vel illa, sed omnia, quæ Deo placent, ne contrahatur debitum inimicitiae: non quidem quia hoc amanti est bonum, sed unice, quia bonum est Deo, penes quem est præscribere quascumque voluerit amicitiae leges; atqui talis actus est appetitativus super omnia: præfert enim bonitatem Dei omnibus aliis rebus, & detestatur super omnia detestabilia, quidquid ex lege amicitiae est ipsi contrarium: ergo, &c.

Probatum secundò: Amor ex divina bonitate obediencialis, utpote elicetus circa bonitatem divinam, ut Deo bonam, & circa bona extrinseca, ut bona ipsi Deo; verè unit affectivè voluntatem amantis cum voluntate Dei, ac pròinde in hac Providentia manet exinde voluntas divina unita cum voluntate amantis ex illo Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*: & ex 1. Jo. 4. *Charitas ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est*: quo fit, ut talis actus sit formalis, aut saltem virtualis voluntas servandi omnes amicitiae leges, juxta verbum Christi Jo. 14. *Qui diligit me, mandata mea servabit*. Unde hujusmodi actus incompossibilis est cum actu postponente Deum, aut sua bona extrinseca utilis aliis rebus: talis enim postpositio asserret inimicitiae debitum, quod cum tali actu est incompossibile; sed hoc est formaliter diligere Deum super omnia, & peccatum super omnia detestari, ut constat ex dictis: ergo, &c.

Confirmatur primò: iste actus, *malò re, ò Deo, propter tuam bonitatem non offendere, quàm omnia alia bona possidere, aut mala fugere*: est actus dilectionis Dei, & detestationis peccati super omnia; atqui amor ex divina bonitate obediencialis à nobis expositus hanc præfert tendentiam, ergo, &c. Confirmatur secundò: iste amor obediencialis non minùs habet pro fine amplecti omnia Dei bona; quia Deo bona; & fugere omnia Dei mala; quia Deo mala; quàm amor scissionis venæ propter salutem habeat pro fine salutem, sive subjectum sanum: sed amor scissionis venæ propter salutem amat appetitativè magis salutem, sive subjectum sanum, quàm ipsam scissionem, ex illo Aristotelis, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis*: ergo iste amor obediencialis, amat appetitativè magis bona Dei, quia ipsi bona; sive ipsum Deum bonum, quàm reliqua alia, pariterque detestatur omnia ipsi Deo contraria, quia ipsi mala, plusquam reliqua omnia; quæ qui-

dem, ut per se patet est vera tendentia appetitativa super omnia. Ex dictis

§. III.

Fit primò: amorem Dei super omnia, adeoque & contritionem perfectam esse actum, vel formaliter, vel saltem virtualiter comparativum ad eum modum, quo actus, quo dico: appetitio magis Petrum, quàm Paulum: est appetitativè comparativus formaliter inter Petrum, & Paulum; vel ad eum modum, quo actus, quo dico: *amo medicamentum unice propter salutem*: est virtualiter comparativus, appetitativè magis salutem, quàm medicamentum. Sic contritio perfecta, quæ amor appetitativè magis Deum, quàm reliqua omnia, & similiter quæ detestatio detestatur magis peccatum, quàm reliqua detestabilia. Quapropter si unum de duobus malis eligendum esset; potius homo contritus eligeret quodvis aliud malum, quantumvis esset pœna Inferni, quàm peccatum. Sic Anselmus lib. de similitud. cap. 190. ferventer, & nervosè dixit: *Si hinc peccati pudorem, & illinc vererem Inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi: prides me in Infernum immergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus calorum regna tenere*.

Fit secundò, nullum actum in circumstantiis, in quibus sit lechale peccatum, esse compossibile cum perfecta contritione, licet compossibilis esset, si reperiri posset in circumstantiis, in quibus peccatum non esset: Sic de homine inculpabiliter necessitato ad alterutrum è duobus malis omninò æqualibus; v. g. vel ad relinquendum ægrotum, ut audiat Sacrum; vel ad omittendum Sacrum, ut assistat ægrotò, quando per ignorantiam judicat, utrumque esse peccatum, & omninò æquale; docent communiter Theologi non peccatum: sive unum, sive alterum eligat, quia nullam habet libertatem moralem; cum malitia moralis eadem omninò sit in utroque extremo; adeoque solum habet libertatem purè Physicam conjunctam cum necessitate ad moralitatem. Supposito ergo, quòd tunc non peccet homo, non est ratio, cur non possit, vel perfectam elicere contritionem, ad cuius moralitatem veram habet libertatem, vel saltem conservare perseverantiam moralein contritionis elicite. Eodemque modo discurrendum est de suppositionibus impossibilibus, quæ fieri solent circa bona; & mala jam Intrinseca, jam extrinseca Deo: si enim illæ suppositiones afferant circumstantias, in quibus actus eliciti non sint peccaminosi, poterunt componi cum contritione saltem moraliter perseverante; secus autem si peccaminosi persistant, quantumvis illis positivè subsequi possent aliqua bona: etenim, ut habet axioma Theologicum ex Augustino desumptum: *non sunt facienda mala, ut veniant bona*. Exinde

2937

2948

Fit

295.

Fit tertio: posse componi cum perfecta contritione aliquos voluntatis actus purè speculativos circa aliquod objectum, quamvis componi non possint actus voluntatis practici circa illud, juxta sententiam illorum, qui docent, tales actus speculativos esse honestos, licet actus practici sint vitiosi. Ratio eorum est, quia sæpe contingit, ut actus voluntatis purè speculativus circa aliquod objectum non sit peccatum; bene verò actus practicus circa ipsum: actus quippe speculativus, cum non sit inductivus malitiæ, potest illam respicere, ut purum terminum, a deoque non sumit ab ea malitiam; sicuti actus, quo amo scientiam, quam Deus habet de peccato Petri, non accipit malitiam à peccato Petri, quia respicit illud, ut purum terminum. Quae de causa Cardinalis de Lugo, & plures alii docent, licitum esse desiderare, per desiderium speculativum, homicidium, ex quo sequitur magnum Republicæ bonum, quamvis sit illicitum illud procurare: Sic Arriaga disp. 8. sectione 3. docet, te posse optare desiderio purè speculativo, quod peccet Petrus ad hoc, ut vitet graviora peccata, licet non possis licitè id procurare. Unde affectus desiderandi peccata super omnia necessarius contritioni solum se extendit ad ea, quæ sunt vera peccata, & legum divinæ amicitiae transgressiva. Exinde

296.

Fit quarto contra aliquos recentiores: Contritionem perfectam, quæ est Dei amor super omnia, non habere pro fine Deum, ut amicum homini contrito. Ratio est, quia talis amor esset actus concupiscentiæ, & veller Deum, quia amanti bonum, quod multum distat à perfectione actus charitatis erga Deum. Quin imò per talem actum non posset Deus amari super omnia. Non enim amaretur supra ipsum amantem: neque posset cum illo affectu componi actus, quo amans potius optaret non esse, quam quod deficeret Deo; quod per illum actum attingitur: non enim possum desiderare meam annihilationem, ut habeam divitiarum bonitatem mihi bonam, ut constat ex num. 267. Lex enim amicitiae erga Deum idèd exigit, ut amem potius meam annihilationem, quam gravem offensam Dei, quia exigit, ut ea bona, quæ amo; non idèd amem, quia bona mihi; sed quia bona Deo; & pariter quòd non detester mala; quia mala mihi, sed quia mala Deo. Unde licet actus charitatis non debeat esse amor Dei super omnia, sumpto ly *super omnia*, pro amore supra leges amicitiae, qualis esset amor impossibilis cum venialibus, & cum imperfectionibus moralibus; debet nihilominus esse super omnia; sumpto ly *super omnia*, pro amore, juxta regulas amicitiae ex dictis numero 279. Hic autem amor, licet ex intrinsicis suis non excludat inimicitiam Dei effectivè, excludit illam affectivè, ut constabit

n. 305.

* *

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

§. I.

Objicies primò contra primam Assert. ex Adriano: per contritionem amatur Deus plusquam omne bonum, & peccatum odio habetur plusquam omne malum: sed non potest ita fieri, si contritio non eliceretur ex summo conatu potentiae, essetque summa intensivè, ergo &c. Resp. dist. Maj. plus intensivè, nego plus appetitivè, conced. Maj. & distinctà eodem modo Min. nego Conseq. Ratio est, quia per contritionem, ita amatur Deus plus aliis, ut transferatur reliquis omnibus (idemque suo modo de detestatione peccati.) Cum autem ad illum finem non conducatur intensio; sed appetitio, ut constat à n. 281 exinde perfecta contritio operis non est, quòd sit super omnia in intentione, bene verò in appetitione.

Objicies secundo contra secundam Confirmationem ex Petro Soro, & aliis: Amor objecti est objecti aestimatio: ergo, quòd sit aestimatio, est major amoris intentio, adeoque amor Dei super omnia erit supra omnes alios amores intentionem, tenetur facere, quantum potest: sed non solum potest elicere amorem appetitivum, verum etiam potest elicere amorem appetitivum, qui sit magis intensus: ergo ad elicendam contritionem, debet elicere amorem appetitivum, qui inter omnes ab ipso elicitos sit magis intensus. Resp. dist. Antec. est objecti aestimatio secundum naturam appetitivam amoris, concedo; supra naturam appetitivam amoris, nego Anteced. & Conseq. quia major intentio non trahit majorem naturam appetitivam amoris, sed majorem teneritudinem secundum eandem naturam appetitionis, ut constat à n. 281. Ad Confir. dist. Maj. tenetur facere quantum potest, ad ponendum id; quòd destinavit Deus, ut necessarium ad justificationem, concedo; non necessarium, nego Maj. & distinctà eodem modo Min. nego Conf. Ratio est, quia à Deo non est destinata ea major intentio, sed Contritio per se ista legum amicitiae adimpletiva, ut constat à Trident. citat. ex num. 247. ubi nec minuitur mentio de actus intentione, sicuti, neque de illius operibus, quæ peccator, operando ex sua sua fortitudine, posset apponere: aliter, ut justificaretur, teneretur facere rigorosissimas omnes quas posset, poenitentias.

Objicies tertio, instando simul solutionem. Non solum exigitur ad justificationem extra sacramentum; in Sacra Scriptura, quæcumque contritio, sed illa, quæ sit ex tota fortitudine, ut constat ex n. 289. tum etiam ex 4. Deuter. dicitur: *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris. Et in tribulatione anima tua: atqui in illis testimonia*